

mus in superioribus Exercitationibus in idea sive notione Dei, quam homines in se non mirantur & considerant, quia familiaris & obvia. Exemplum è Phisicis legitur Defension. Cart. cap. 15. §. 9. quòd vulgaris & obvia experimenta, ad naturę investigationem maximè utilia, susque deque habentes rariora tantum & abscondita expetamus.

14. Cùm *ignis* adeo sint mirabiles proprietates, v. g. subito illustrat oculos è cimmeriis tenebris eductos, tangi se prohibet, ascendit sursum, quę vincere potest secum abripit, generatur ex parva scintilla exiguo temporis spatio maxima ejus copia, corrumpit illud cui occurrit, non minuitur si accipiatur ex eo &c. cur has & similes omnes non tam mirantur homines quàm vel unam *magnetis* ferrum trahentis proprietatem? Resp. Quia non ut magnes res est difficilis inventionis & quę ex longinquis oris sit advehenda, sed familiaris & sueta ad usum domesticum quotidie adhiberi, ideo non miratur vulgus hominum, utcunque videat in eo quę maximè sunt admiranda.

15. Constat è superioribus, cur non
cun-